

relegantur, constitutione, tenebris, & horrore inexplorabili. Hujusmodi diu ventilatae sunt quaestiones, non quidem in Cathedrali Basilica, in qua Concilium habebatur, sed in templo S. Francisci bis singulis hebdomadis inter selectos quatuor & viginti disceptatores, nimirum ex utraque parte duodecim. Aderant vero Notarii & exceptores, quae dicebantur, conscribentes.

6. Jam vero nos haec acta perpendentes quasi preliminaris, & apparatus sacri Concilii, eo quod Graecis visum fuerit non ante procedere debere Concilium, quam nova ipsorum instantia iterumque rogati & diu expectati fuissent Basileenses, & Ferrariam adventarent, & Principum eis adherentium Legatos secum adducerent, scilicet Alberti secundi Latinorum Imperatoris, & Alfonsi Aragonum Regis. At vero illis nefas sibi esse dicebant huic translationi consentire, aut cum haereticis quidquam habere commune; tales autem esse docebant qui oppositi erant duabus, quas publico iudicio statuerant, fidei propositionibus inconcussis, Concilium auctoritate pollere supra Papam, qui deponendus erat sua dignitate, si Concilio iubenti non obediret, & insuper non posse Concilium a Papa solvi aut alio transferri, nisi approbante & consentiente ipso Concilio. Neque elabi hanc occasionem ullatenus in animum inducebant propositum suum exequendi, Eugenium a se jam damnatum exauctorandi, novique Pontificis, ut paulo post ab ipsis factum est, obtrudendi. Qua demum Basileensium praefata pertinacia moti Graeci consenserunt, ut deinceps absentibus Basileensibus, res ipsa, propter quam advenerant, gereretur. Itaque juxta eorum mentem primam sessionem ab octavo Octobris die jam auspicantur, qua statutum fuit, ut serio disputando excuterentur duae praecipuae quaestiones, circa quas ut cardines totum vertebatur unionis negotium. Quarum prior hac erat: An licuisset ad fidei symbolum Constantinopolitanum quidquam addere? Secunda, utrum addita vox illa *Filioque* conformis esset fidei orthodoxae, opinantibus Graecis Spiritum sanctum non a Filio, sed a Patre solo procedere. Sex delecti sunt ex Graecis disputatores, & alii totidem ex Latinis, necnon utrinque alii utriusque linguae periti interpretes, itemque Notarii, a quibus hinc inde dicta scripto exciperent. Ex parte Latinorum, qui in hanc disputandi palastram prodire, duo fuerunt Cardinales, Nicolaus Albergatus tituli Sanctae Crucis, & Julianus Caesarinus tituli Sanctae Sabinae, qui primum Concilio Basileensi Apostolicus a latere Legatus praesederat, deinde Basileenses deserens in apertum schisma conspirantes ad Eugenium secesserat. His adjuncti sunt Andreas Archiepiscopus Rhodius, Aloysius seu Ludovicus Episcopus Forojulienis ex Ordine Minorum Sancti Francisci, alique duo Sacerdotes Monachi & in Theologia Magistri, quorum unus erat Provincialis Vistariae Longobardiae Ordinis Praedicatorum, cui Joanni de Montenegro nomen fuisse, s. atheni Antoninus. Sexti vero ad disputandum electi incomperum est nomen. Ex parte Graecorum electi sunt ad disputandum Marcus Ephesinus Metropolitae, Iidorus Rutenus Metropolitae, Bessarion Nicenus, Xantopulus magus Scenophylax, id est Vasorum Ecclesiae custos, Michael Balsamon magnus Ecclesiae Bibliothecarius, & Georgius Gemistus.

7. Sessio III. exorsa die 14. Octobris disputationum campum aperuit. In hac & quatuor sequentibus sessionibus iniiit disputatio de additione ad Symbolum Constantinopolitanum hujus vocis, *Filioque*, circa Spiritus sancti processionem, quam Graeci negabant a Filio dimanare: at Latini esse simul asserabant a Patre *Filioque*. Primo isto certamine quasi in circo ex carceribus effusi sunt pro Graecis Marcus Ephesinus, pro Latinis autem Andreas Rhodi Episcopus, qui dicitur Colossensis in actis hujus Concilii, errore inde orto, quia multis persuasum erat Colossenses, ad quos sacram Epistolam scripsit Apostolus Paulus, non alios esse quam insulae Rhodi incolas, eosque ita denominatos fuisse ab aeneo Solis Colosso cubitorum septuaginta, olim inter septem Orbis miracula celebrato, quem Chares Lyndius insigni fama Statuarius Lyssipi discipulus in aditu portus Rhodi constraverat. Certum tamen est urbem Colossi dictam, ad cujus cives dirigitur illa Pauli epistola, fuisse in Phrygia, cujus est apud Strabonem & Plinium mentio. Negabat Ephesinus licuisse quidquam ad Symbolum adungere; hoc enim districte octo Synodis oecumenicis vetitum. Colossensis fuissebat, non esse proprie loquendo additionem, sed explicationem orthodoxam verbi hujus a Patre. Additiones quidem contrarias semel decreto fidei esse interdictas, sed non illas per quas exponitur fides. Tantum vero abesse, ut eas sacra Synodi prohiberent, ut potius eas in praxim eadem ipsa reduxerint: nemo enim negaverit a Nica-

*Hispania  
e caenosis  
Burgensis*

na prima Synodo additam fuisse Filii DEI *consubstantialitatem* cum Patre, aliaque non pauca ad Symbolum Apostolorum. Constantinopolitanam autem periculum est addidisse ad Symbolum Nicenum, quemadmodum postea factum est a Conciliis Ephesino & Chalcedonensi. Nec enim possent ulla ratione de novo insurgentes haereticos refelli, si non liceret per expositionem aliquid ad dogmata fidei superaddere. Quod autem licuit veteribus ad symbolum Apostolorum, & posterioribus Synodis ad symbola & fidei decreta Synodorum, quae praecesserant, addere, non esse ademptam Ecclesiae subsequendum saeculorum parem potestatem. Idem enim quo vetus Ecclesia regebatur & illuminabatur Spiritus Dei, pollicitus est se eidem nunquam defuturum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Ipsaque Ecclesia, quae in Canticis Turri Davidis posita contra Libanum, ex qua mille clypei pendet & omnis armatura fortium, confertur, nullos haberet nisi elingues & inermes omnique conflictus incapaces milites, si ad Scripturas exponendas, quibus crebro abutuntur haeretici, & ad pristina fidei decreta omnes verborum, & explicationum accessiones essent interdictae. Nec tamen inde inferri posset, tum Scripturas, tum Symbola, tum priora fidei decreta esse imperfecta. Fuisse namque perfecta ad veritatem & fidem commonstrandam, etiam si pleniorum notitiam non exprimerent, ad nascituros omnes in posterum errores refellendos, nisi quatenus standum esse in omnibus ambiguis jam inde ab ipso Christo & Apostolis ejus constitutum ac definitum semper fuit Ecclesiae iudicio: quam regulam, quicunque sequetur, nunquam aberrabit ab aeterna salutis itinere. Fuerat constans ab initio doctrina Ecclesiae, Spiritum sanctum a Patre procedere: emersit in oppositum Macedonii & Eunomii haereticis non a Patre, sed a Filio procedere; quemadmodum enim Ariana perfidia Filium esse Patris creaturam, suoque progenitore longe inferiorem, blasphemabat; hoc idem de Spiritu sancto praedicantur Eunomius & Macedonius respectu Filii, esse hujus creaturam, longaque inferioris ab illo dignitatis; hunc errorem Synodus Constantinopolitana suo symbolo refellit, definiendo Spiritum sancti, & vivificantis processionem a Patre, nihil vero de processione a Filio pronuntiavit cum id superfluum iudicaret, consentientibus in hoc unum tam Orthodoxis, quam Macedonianis. Veruntamen septima Nicaea habita apud Graecos oecumenica Synodus formulam fidei illam penes se recitatum approbavit, in qua perspicuis verbis docebatur, Spiritum Sanctum a Patre *Filioque* procedere. Antiqui etiam Graeci Patres nunc districte docent, (ut Latinos omittam) Spiritum Sanctum a Patre *Filioque* produci, nunc etiam a Patre per Filium procedere; quae expressio non aliter intelligi potest, quam ejus productionem simul esse a Patre & Filio. Ipsaque Photius schismaticus praecipuus auctor, nonnullas Romanorum Pontificum epistolae laudat & approbat, in quibus asseritur illa Spiritum a Patre *Filioque* processio. Prohibitiones vero Pauli Apostoli, ne quisquam adderet ad ea, quae Galatis evangelizaverat, & Joannis, ne quis ullum verbum ad suam Apocalypsim adungeret, nihil efficiunt pleniori eorumdem Scripturarum expositioni, dummodo a fide Catholica non deflectat. Certum quippe est, sequentibus temporibus addita fuisse non pauca Apostolica doctrina, quae neque in sacris Paginis, neque in praecedentibus decretis continebantur. Sic adversus impium Atrii dogma Nicana Synodus vocem *Consubstantialitatis* assignavit ut tesseram, quae ab haereticis Catholicis secernerentur: Hujusmodi pariter vocem illam *Dei* seu *Deiparae*, quam Synodus Ephesina ad convellendam Nestorianam haerem introduxit: Vocem quoque *Trinitatis* & *Trinitatis* circa Divinas Personas, neque Divinarum Scripturarum Codices, neque Symbola Apostolorum, aut Nicanae aut Constantinopolitanae Synodorum exprimunt, quam tamen universi sancti tam Graeci quam Latini Patres laudant & passim usurpant. Instabant ex opposito Graeci, licet hoc quasi verum supponeretur, quod tamen ipsi constanter negabant, *Filio* quoque attribuendam Spiritus sancti processionem, nullatenus tamen licitam fuisse *Filii* vocem articulo Symboli Constantinopolitani inferere, quia id prohibuerat insequens Ephesina Synodus: sed Latini prohibitionem illam aliquid addendi interpretabantur, quae feret privata alicujus libidine, non vero publica Ecclesiae auctoritate, quae semper eadem est, nullaque lege coercetur: praetereaque veritas quidem esse additionem sacris fidei decretis oppositas, sed non illas quae fidem ipsam dilucidius explicarent, essentque necessariae ad reprimendum nascentis alicujus haereticis progressum. Replicantibus Graecis suum consensum ad id non fuisse requisitum, responsum est, nec id esse aut fuisse necessarium; nec enim in plerisque Graecorum Synodis

notis sive oecumenicis, sive nationalibus de fide tractantibus, Latini intererunt; satis enim est ad eas roborandas, si eas Cathedra Apostolica comprobaverit. In his concertationibus, qui fufius & prolixius disputantur ad finem usque Concilii, fuerunt ex parte Graecorum Marcus Ephesinus & Bessarion, ex parte Latinorum Julianus Cardinalis, & Joannes Praedicatorum Longobardiae Provincialis, quorum primus admirabili ingenii & memoriae vi dicendique facultate praecelluit; alter vero tanta inexhausta eruditionis luce praefulsit, ut Ephesini quamquam audacissimi & loquaces mentem saepe perfrinxerit, & ad confusionem adegerit.

8. Volebant Graeci additione illa, quam criminabantur rem totam esse confectam: instabant ex opposito Latini, discutendas & examinandas esse causas additionis. Si enim iuste proferrentur ejus causae, nihil esse rationis, cur additio esset arguenda, sive in ipsa fidei formula, sive alibi usquam esset inserta. Sessione postmodum 17. Marcus Ephesinus cupiens Latinorum ingenia confundere, prolixissimum habuit in reprobandum additionis sermonem, plenum confusionis, inordinatum, & multiplici rerum verborumque congerie refertum. Sed respondentis Cardinalis Juliani admirabiliter praefulsit animi praesentia, & inexhausta memoria cum vigore ingenii & iudicii conjuncta; memorem etenim Ephesini affectata multitudine rerum inordinatarum ad confundendum adversarii animum, redundantem, Julianus nulla parte omitta in duodecimginta capita distinxit, atque ad singula solidissime respondit tum ex facris Scripturis, tum ex Patribus, tum ex Philosophiae penu, tum ex Ecclesiasticis historiis. Imitari piscem Sepiam Marcus consulo affectarat, cujus ea est astutia, ut atramentum quo plena est, succum effundat, quo nigrescit & turbatur aqua stagni, & sic aspectum eludit & manus evitat piscatoris. Sed Julianus arte contraria eaque laudabili consulsit & inordinatae Marci argumenta in apertum ordinem, & lucem eduxit, & palam resistavit, admotivo ingenii sui lumine, victoriam retulit gloriosam, quam Marcus per tenebras & confusionem illi conabatur eripere.

9. Sess. 16. Inguente jam intra Ferrariensem civitatem pestilentia, transferendi Florentiam Concilii necessitas incubuit. Eugenius & reliqui Antistites Graeci Latiniq; communi assensu Ferraria digressi Florentiam concedunt. Eugenium egredientem praecessit sacratissima Eucharistia intra arculam equo magnifice phalerato superpositam sub umbella, cum Clericorum & laicorum palmodiis & facibus accensis, ut scribit actorum hujus Synodi testis & Scriptor Graecus auctor. Similis fuerat ritus observatus in Gregorii Papae XI. itinere ex urbe Roma Anagniam secedentis ann. 1377. praecedente per aliquot horarum intervallum sanctissimo Corporis Christi Sacramento, ut scripsit eo tempore Amelius Episcopus Senogalliensis. Tandemque mense Januario ineunte Latini simul & Graeci Florentiam devenere. Sess. 18. cum satis superque apud Ferrariam disceptatum fuisset de additione voculae ad Symbolum: ceptum est Florentiae disputari de sancti & vivificantis Spiritus processione, an ex Patre solo, an etiam ex Filio esset, inter Marcum Ephesinum acris & praestantis ingenii virum, & Joannem supra commemoratum longe sublimioris & solidioris praeter Marco eruditionis. Haec disceptatio sex tenuit sessiones, donec Marcus tanto impar adversarii, saepe nihil habens quo posset illius arguentem vim retundere: pudore tandem suffusus cessit palaestra, simulatque morbo non est ausus in Synodum prodire. Cum tamen Joannes, nemine congressi auso, per aliquot dies sua repetens argumenta veritatem Catholicam alius in auditorium animos infingeret, doceretque Spiritus Divini productionem ab unico spirationis Patre *Filioque* communis principio dimanare, non vero a duobus seu principiis, seu causis, tamen vere a duabus Personis prodeat ac producat, sed tamen per unicum & indivisum Patrique & Filio communem amorem. Provehit feliciter ad stabilendam unionem rebus, adversarius pacis conatus est zizaniam superfeminare, objectisque diversis ab Imperatore obtaculis tam excellens bonum praepedire, sed partim hortatu Josephi Patriarchae viri sapientissimi, qui tunc extrema aegritudine decumbebat, ad cujus cubiculum frequentes erant Imperatoris & selectiorum Graecorum conventus, partim cohortationibus & officii Eugenii Pontificis, partim etiam Bessarionis & Juliani Opportuni interventu, accedente reliquorum Graeciae Antistitem consensu, soloque Ephesino, incessanter obstante; utrinque tandem & voce & scripto conventum est vocis *Filii* additamentum ad Symbolum a quo jure ac licite factum esse, Spiritum Sanctum quoque a Patre *Filioque* in unitate principii ac originis prodire; Roman. Pontificem universae Ecclesiae caput esse, cui Christiani toto Orbe dispersi

in rebus aeternam salutem spectantibus subesse, & motum gerere teneantur; Valere ad Corporis Christi Sacramentum panis triticeae consecrationem, sive sit azymus, sive fermentatus, quali utuntur Graeci; Ecclesiis Orientalibus proprios ritus esse conservandos, praesertim in Liturgiis seu Altaris oblationibus & Sacrificio; Sanctos ex hac vita decedentes, postquam omnem animi labem sive in hac mortali vita, sive in Purgatorio eluerunt, sine mora vel dilatione in conspectu Dei perfrui, neque ad saeculorum finem ipsorum protelari felicitatem.

10. Videnda est superius prima nostra ad generale Lugdunense Concilium Dissertatio, qua probatur antiquitas fidei Orientalium simul & Latinorum communis de Spiritu sancti a Filio processione, simulque additionis explicativa ad Symbolum. Quibus adungere visum est aliam probationem a Josepho Methonenfi Episcopo Graeco adductam, in sua adversus libellum Marci Ephesini responsione, falso asserentis illud additamentum causam fuisse Orientalium dissidii. Ejus vero dialogismi fragmentum hic attendum iudicavi, quia paucis verbis illa complectitur, quae prolixissime in actis Concilii disceptata sunt. Sic autem Ephesini Marci asserationem refellit. *Pro sua tamen defensione Latini respondebant tibi per Archiepiscopum Rhodi, falsa esse ostendentes quae dicebas: Quod nequaquam Ecclesia Romana, nec additamentum, origo fuerit divisionis & pugnae. Neque enim solum ante schisma Ecclesiarum appositum erat Symbolo, sed ante ipsas Synodos oecumenicas, septimam dico & sextam, ut testatur confessor Maximus in epist. ad Marinum Presbyterum Cyprium: nec ante illas tantum, ut dictum est, sed mox a secunda Synodo tempore Papae Damasi, ut asserit Georgius Afrinus historicus. Quare hinc redargueris commentitia dicere: neque enim additamentum causam dedit separationis Ecclesiarum. Nam si post septimam Synodum exortum est schisma, & multo etiam est illa posterius; additamentum vero fuerat Symbolo post secundam Synodum, & Ecclesia concordabant usque ad septimam. & altera alteram hujus rei causa non accusabat, qui fiat, ut ex additamento sit ortum dissidium? Immo potius ex hoc ostenditur Orientalibus explanationem hanc fuisse acceptam, quandoquidem addita etiam Symbolo voce illa *Filioque* non dissidebant.*

11. Deinde aliquibus interjectis, calumniam Ephesini de objectis sibi a Latinis libris ignotis & apocryphis, & testimoniis depravatis & corruptis, ejusque falsam jactantiam se cum illis congressum sententiam surdam esse aperte demonstrasse, & libros depravatos peripicue probasse, hac responsione refellit: *Primus de dogmate Joannes ille in re Theologica summi vir ingenii, atque instituto S. Dominici praefecti dignitate ornatus disputationem instituit: Accepta, inquit, benedictione Patris beatis, quaestione de processione Spiritus sancti vobiscum habebat: quando non ex apocryphis ignotisque libris protulit textus aut corruptis & depravatis, ut ipse ait: nisi apocrypha intelligas Basilii Magni & Athanasii Opera, necnon Epiphani & S. Cyrilli, quorum dicta Joannes praeserebat Latinorum nomine, per quae demonstrare conabatur dogmatis veritatem. Noluerunt enim sacri illi viri Occidentalium auctoritate Doctorum, sed Orientalium probare hoc dogma, ne quod etiam evenit, posset contradicere. Tu vero cum ferre non posses veritatem, corruptos & depravatos vocabas Doctorum libros: quando etiam magno tuo dedecore, universa re Synodus sagillavit ita dicentem, & praesertim ultiores Francie Praesides, ut audierunt Orientalium Doctorum libros vocari a te corruptos, magna voce exclamarunt: Haereticus est maledictus, aeterna feriat excommunicatione, Doctores enim rejicit: & si suis Orientis Doctoribus fidem non tribuit, quid de nostris Occidentalibus dicit? Hinc commotione excitata surgentes nihil aliud egissent. Proxima vero sessione cum illi ex magni Cyrilli verbis argumenta duxissent, tu omnino S. Cyrillum negasti ita dicere. Cum vero Joannes Epiphanius eadum quae Cyrillus dicentem protulisset, tu haec ipsa etiam adulterata vocastis. Inde coactus profunde ille ac sublimis Theologiae vir Basilium Magnum attulit in libro contra Eunomium consimilia prioribus dicentem; tu vero illa quoque depravata dixisti. Ita libros omnes, qui producti sunt, corruptos vocando, stultissimus ab omnibus habitus es. Quando missis etiam Nicomediensis Praesulis ministrum, ut asserret codicem S. Basilii, in quo dictum illud haberetur: Cur enim necesse est, Sec. Ille vero sine malitia sua promissus, sive etiam a vobis admonitus voluit oculis veritatem, atque accepto codice venit ad forestram, cogitans dictum illud abraderi, signatque folio, in quo sententia haberetur, cultellum querebat, quo illam eraderet; at vero Spiritus veritatis non permisit id fieri, ne veritas extingueretur; excitat vero stantem auram, per quam factum est, ut folio, in quo dictum erat,*